

Alte Drucke

**IVDOCI || CLICHTHOVEI || THEOLOGI PA-||RISIENSIS, || De
vita & moribus Sacerdotum || Opusculum, eorum
dignitatem || ostendens, & quibus ornati ...**

Clicthove, Josse

Parisiis, 1563

EXPLICATIO MYSTERIORVM SACROSANCTAE MISSAE.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

E X P L I C A T I O
M Y S T E R I O R V M
S A C R O S A N-
C T A E M I S S A E.

Designatio[n]e sacrarum vestium.

HVMERA LE, quod de fragili, sed puro & mundo lino contextum est, Sacerdotis caput cōtegens, significat Christi diuinitatem, fragili carne, humana, quæ tamen munda, & peccati omnis expers esset auctoritate pertam.

Alba.) Cūm sit & ipsa pura, & vndique clausa, insinuat integerrimam Christi inter omnes conuersationē, quam ab omni peccato præmunitam, & omnis labis expertem usque in finem traduxit.

Cingulum.) Quo amplitudo Albæ constringitur, significat Christum perfectissimam & altissimam conuersationem suam s̄epe constrinxisse, & ad infirmitates nostras attemperasse, & nostris se moribus accommodasse, ut actionibus ipsius ad scientiam salutis eō melius instruerceretur. Et quemadmodum Albæ laxitas

Cinguli constrictione non minuitur, sed in se ipsa complicatur, ita Christi sanctitas in se mansit perfectissima & integerima, licet propter instructionem & vilitatem nostram saepe ad hominis infirmi mensutam contraheretur.

Manipulus) Quo manus sinistra alligatur, Christum innuit ab omni actione prava, & sinistra immunem persecutasse. Cum enim in Christo residerent, & omnipotēs diuinitas, quæ per dexteram, & infirma humanitas, quæ per sinistram designat, sic diuina virtute Christus sinistram suam, id est humanitatem, alligauit & detinuit, ut ad actum prauum nusquam deflechteret.

Stola) Quæ à collo pendens, in pectori crucis imaginem effigiat, voluntariam Christi obedientiam insinuat, qua pro salute nostra Patri obedire voluit usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Philip. 2.

Casula) Duas partes habet: Anteriorē quæ minor est, & ecclesiam, quæ Christi passionem praecessit, insinuat: Posteriorē, quæ est laxior, & crucis imagine insignita, populum significat Ecclesiam Christi, post crucem & passionem adunatum. Vnde & Casula, quæ cum una sit, & sibi

DE M Y S T E R I I S

firmissimè cohæreat, eam tamen sacerdotis brachia in duas quasi partes diuidunt innuit vnitatem Ecclesiæ ex duobus populis, qui Christi passionem præcesserūt, & sequuti sunt, coadunatam & coniunctam.

Alia vestium significatio.

H *Vmerale)* Quod humeris circumponitur, & ad renes usque demissum pectore colligatur, bonæ operationis indefatigabilem tolerantiam, & cordis simul ac corporis insinuat castitatem.

Alba) Cádoris sui munditia innocenciarum & puritatis, quam in baptismo accepimus, nos commonet, & vt eam in omniactione immaculatam conseruare, & integrum ante Christi Tribunal repræsentare studeamus, iubet.

Cingulum) Albæ laxitatem cohibens, significat lumbos mentis nostræ, ne castitas incentiuorū stimulis dissoluatur, cautè esse cohibendos.

Manipulus) Bonorum operum fructum nobis innuit, quo dum calamitatibus seculi huius exercemur consolari nos debemus, & benefaciendo non defatigari,

Galat. 6. memores nos olim latos ad Dominum *Psal. I.* cum manipulis nostris apparituros, &

boni operis gratam mercedem à iusto Iudeo
dice relatuos esse.

Stola) Nos admonet, ut iugo Domini
libentes ceruicem supponamus, & armis
iustitiae à dextris & sinistris muniti, nec
villis aduersitatibus fracti, nec prosperita-
tibus elati, à via iustitiae usquam deflecta-
mus.

Casula) Charitatē significat, qua intra
viscera miserationis & dilectionis omnia
Christi membra complecti, & cum his in
tima dilectione coniungi debemus.

Deniq; hæ vestes memoriā Dominicę
passionis in animis nostris renouant, dū
per Humerale pānum intelligimus, quo
ministri faciem Christi obuelantes ala-
pis cædebant, & vt percussorem suum,
quem oculis videre non poterat, prophe-
tica cognitione proderet, per ludibrium
hortabantur. Per Manipulum, à manibus
dependentem, & Cingulum quo corpus
circunligatur, vincula quibus innocens
Dominus constringebatur. Per Albam,
vestis alba, quam ad deridendū eum He-
rodes ei induit. Per Casulam, purpura,
qua milites eum ad ignominiam vestie-
bant, innuitur, vt tali indutum ornatu
ministrum coram altari conspicientes

DE MYSTERIIS

statim capti, & derisi, & omnibus contumeliis pro nobis affecti.

De Luminaribus & de Incenso.

PRæterea luminaria ascenduntur in cultu diuino, quorum splendore nati Saluatoris, & per eum redempti generis humani lætitia designatur: Simul & hoc innuitur, cultum nostrum ei deseruire, qui lucem habitat inaccessibilem, & qui solus mentes hominum verae lucis suæ fulgore illustrat. Incensum verò ideo offerunt, ut in cœlum, quo fumum eleuari conspicimus, eò mentis nostræ intentiōnem dirigamus. Simul ut supplicationes, & orationes nostras ante cōspectum Dei ascendere, & Deo in odorem suavitatis gratas effici, & ab eo benignè exaudiri flagitemus.

De accessu sacerdotis ad Altare.

Sacerdos sic induitus, ut Christi passio nis imaginem in se ostendat, ad altare procedet, nihil in manibus gestet præter crūcem aut calicem, quorum vtrūque passionis insigne est, ut insinuet Christū Salvatorem nostrum ad Sacrificiū, quod pro redimendis nobis fecit, nō veterum hostiarum pompam attulisse, sed semet ipsum in Hostiam sanctam, viuentem &

rat-

rationabilem obtulisse Deo nec in hir-
corum aut vitulorum sanguine, sed per *Hebr. 9.*
proprium sanguinem introisse semel in
sancta, æterna redēptione inuenita.

Supplicantis autem gestu Sacerdos ad
Altare adueniens, astantem plebem se-
cum ad peccatorum Confessionem fa-
ciendam exhortatur, eo gestu insinuans
nos, non tam in iustitiis nostris, quām in
meritis Domini nostri Iesu Christi salu-
tem nostram inuenire, & maximè con-
tribulati spiritus, & humiliati & con-
triti cordis Sacrificio nos id quærere de-
bere, ut excellētis Sacrificij istius (quod
pro nobis obtulit Filius Dei) virtus no-
bis ad salutem applicetur. Tundit autem
peccatum inter confitendum, commonens
nos, ne scelerum nostrorum culpam in
Deum authorem, aut in alios homines
regeramus, quod impij faciunt, excusa-
tiones in peccatis quærentes: sed ut ma-
litiæ nostræ causam ex cordis nostri pra-
uitate promanare, vera humilitate con-
fiteamur, ut peccatorum nostrorum ve- *I. Ioan. 1.*
niam eō facilius apud misericordem Do-
minus impetremus, quò humilius illa-
deplorauerimus.

DE M Y S T E R I I S

De Osculo Altaris.

Altare ex multis lapidibus, vndique coaceruatis compingente & conglutināte cemento constans, nō inēgrūe significat Ecclesiā ex diuersis populis, velut viuis lapidibus, ædificatam, & vno charitatis glutino coagmētata. Dum igitur sacerdos in medio osculatur Altare, hoc demonstrat, quomodo Christus Dominus de cœlo veniens Ecclesiā suam in medio eius sit deosculatus, qui cùm sit factus pax nostra, utraque fecit vnum, & sublati ē medio inimicitii duos populos Iudeorū & Gentiuū condidit in semetipso in vno nouo homine, faciens pacē, ut recōciliaret ambos in uno corpore Deo, per Crucē interficiens inimicitias in semetipso, & veniēs euāgeliizauerit pacē his qui lōgē, & his qui prop̄ fuerunt, ut per ipsum haberent accessum ambo in vno spiritu ad patrem.

Quoties ergo Sacerdotē Altare deosculantem conspexerimus, semper nobis Ephes. 5. istius magnæ dilectionis veniat in mēte, qua Christus ita dilexit Ecclesiam, ut se ipsum impēderet pro ea, ut eā sanctificaret, & sibi exhiberet Ecclesiam gloriosam, nō habentē maculā, neque rugam.

De Introitu.

Intritus, quem hilari concentu, & intentis vocibus pariter omnes canunt, sanctorum Patru pro Christi Saluatoris aduentu ad Deum suspirantium plenas desiderij voces insinuat. Dum enim generis humani vulnera periculosiora videret, quam quæ humana ope curari possent, Medicu illum de cœlo promissum ardentibus votis expetebant: Emitte, inquit, Domine Agnū Dominatorē terræ. Et alius: Excita potentiam tuam & veni, ut saluos facias nos. Et aliud: Rotate cœli desuper, & nubes pluant iustū, aperiatur terra, & germinet Saluatorē. Repetitio Introitus istius desiderij vehementiam significat. Cui Versiculus ille, Gloria Patri, intericitur, ut significetur in eo, quæ illi venturū expetebant, nos venisse gaudemus, plenitudinem diuinitatis inhabtare. Et ut pro redēptione nostra, quam non de meritis nostris, sed de Dei misericordia obtinuimus, sanctissimæ Trinitati debitas gratias agamus.

*Esaie 16.
Psal. 79.
Esa. 45.*

Coloss. I.

Kyrie Eleison.

Post Introitum Chorus nonies canit Kyrie Eleyson, singulis in Trinitate personis, perfecta obsecratione sup-

F ij

DE MYSTERIIS

plicans , ante omnem aliam orationem
Domini misericordiam implorat . Quo
cantu Ecclesia innuit se quoque gratia
& misericordia Dei indigere , & à Deo ,
vt communis Redemptoris Iesu meritis
adiuuetur , & saluetur , votis ardentibus
expetere .

Gloria in Excelsis, Et in terra.

DVM Ecclesia infirmitatis suæ , &
peccatorum suorū memor Dei mi-
sericordiam pro sui liberatione multis
gemitibus & suspiriis implorat , Sacer-
dos in Altari mox Hymnum pronuntiat
quem in ortu Saluatoris Angeli cane-
bant , laudantes deū , & dicētes : Gloria in
excelsis Deo . Quo in animis nostris il-
lud nati Saluatoris gaudium renouatur .
Cuius annunciatione Angelus in Chri-
sti Natiuitate totum mundum ingenti
cōsolatione explebat . Nolite (inquit) ti-
mere , Ecce enim Euangelizo vobis gau-
diū magnū , quod erit omni populo , quia
natus est vobis Saluator , qui est Chri-
stus Dominus . Chorus autem totius po-
puli vicem implens , & quasi in tantæ sa-
lutis recordatione non valens præ gau-
dio voces suas continere , mox raptum de
ore Sacerdotis Hymnum alacri modula

Lxx. 2.

tione prosequitur, laudans & glorificans
Deum, qui fecit nobiscū misericordiam
suam.

De Collecta.

O Ratio Sacerdotis, quam pro totius
populi necessitatibus ad Deū por-
rigit, Collecta vocatur, vel quia totius
populi petitiones in ea colliguntur, vel
quia in vnum coeunte, & collecto popu-
lo, licet ab vno Sacerdote, omnium tamē
vice offertur Deo.

Salutationem populi ante Orationem
præmittit Sacerdos, vt audientium cor-
da ad instructionem aperiat, & deuotio-
nem excitet, vt communem Ecclesiæ po-
stulationem, communibus etiā votis ad-
iuuent. Vnde & Chorus totius populi vi-
cēm tenens, respondet Amen: quo se Sa-
cerdotis petitioni innuunt assentiri, pre-
cantes ad salutem omniū euenire, quod
communi nomine postulatum est.

Omnes autem orationes & petitiones
suas Ecclesia concludit, Per Dominum
nostrum Iesum Christum, quem Dei &
hominum vnum nouit Mediatorem, &
huius se meritis adiuuari, & saluari, & *I. Tim. 2.*
propter ipsum orationes suas à Deo
exaudiri confidit.

De Epistola

Epistola ad populi eruditionem seruiens, officium signat, quod multis temporibus lex Mosaica, inde ad exitum legis, Ioannes Baptista exercuerat, quo venturo Christo in animis hominum viam præpararent. Ideo autem Epistola *Hebr. 7.* præcedit Euangelium, ut hæc sit imago legis, auditores suos, quos ad perfectum adducere non poterat, ad Euangelij auditionem, in illa perficiendos transmittentis.

Ad lectionem Epistolæ sedemus, imperfectionem legis quam longè infra Euangelij dignitatem subsistat, hoc gestu indicantes, & plenam reuerentiam auscultationi Euangelicæ, (quæ præcipua & perfectissima & saluberrima est) reseruantes.

De Graduali, Alleluia, & Tractu.

Graduale lamentum pœnitentiæ insinuat, quoniam olim homines Iohannes prædicatione sua ad compunctionem & pœnitentiam prouocabat. Et nos quoque ad salutem, quæ Christi sanguine comparata est, fruendam aliter quam per compunctionis & pœnitentiæ gradum condescendere non possumus. Itaque

Graduale adhuc in stadio pugnatum, & pro accipienda vitæ eternæ mercede laborantium, & cum difficultatibus carnis & huius seculi luctantium, cantus est, sicut Alleluya vox est Beatorum, & de percepto vitæ æternæ brauio exultantium, & Deum sine fine laudantium, sicut de beatis scriptura meminit, Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Vnde & cantus ille Iōga vocis modulatione extrahitur, & paucis syllabis multa prolixitas cantus adaptatur, ad innuēdum maiorē esse beatorū in illa æterna vita lætitia, quam verbis humanis enunciari queat. Ad quā significationē etiam hoc facit, quod peregrinā vocem (quæ Latinè valet, Laude Domini) fine interpretatione retinemus, ut indicemus nos in hoc exilio positos experiri non posse, qualia sint, quæ Deus præparauit diligentibus se.

Psal 83.

I. Cor. 2.

Alleluia tēpore resurrectionis Dominicæ, per dies Pentecostes (quod tempus futuræ fœlicitatis statum designat) crebro iteratur. A septuagesima usq; ad Domini resurrectionem (quod est tempus pœnitētiæ destinatū) omittitur ille Cantus lætitiae, & eius loco Tractus multa

F. iiii

DE MYSTERIIS

vocis asperitate & multiplicatione verborum canitur, significans piorum gemitus, quibus præsentis vitæ miseriam, & infelicitatem deplorant, & ad vitæ æternæ gaudia suspirant, querentes incola-

Psal. 119. tum suum nimis prolongari.

De Euangelio.

DIaconus Euangelium lecturus vertit faciem ad Aquilonē, quæ mundi plaga quasi potestati & malitiæ diabolice dedicata, multis scripturæ locis infamatur. Ponam sedem meā in Aquilone, inquit ille malignus, & similis ero altissimo. Et scriptura ab Aquilone omnē malum pandi asseuerat, & alia fure re iubet Aquilonem. Contra hanc mundi plagam vox Euangeli personat, ut significetur, per Euangeli Christi annunciationem subuersum esse principatum diaboli, & potestatem eius destructam, & ipsum mundi huius Principem iam iudicatum, & è suis sedibus eiectū esse. Sed & hodie, si quando diabolus in cordibus hominum sedem occupauerit, vbi efficacem Euangeli vocem autibus receptam, in corda demiserint, statim maligni illius consilia destruuntur, & machinationes eius & suggestiones expelluntur.

Diaconus verò ante recitationē Euangelij, Salutationem præmittit ad populum, qua animos eorum ad auditionem verbi præparet, & attentos reddat, Gratiā illis à Domino optans, qua digni & idonei auditores fiant, vt cum mansuetudine suscipiant verbum, quod possit salvare animas ipsorum: Ad quam Salutationem omnis plebs exurgens, reuerenti gestu, erectis corporibus, & nudatis capitibus, innuant se ad Euangelij auditio nem promptos & attentos esse. Et vbi minister edocuerit eos, de qua Euangelij parte aliquid depromere velit, inquiens: Sequētia sancti Euangelij secundum hunc aut illum Euangelistam, statim populus lēta gratulatione acclamat, glorificans Deum, qui ipsos etiam ex dignatione sua voluerit esse participes Euangelij Christi quod est virtus ad salutem omni credenti. *Rom. I.*

Hinc Crucis imaginem imprimit libro, ex quo recitare vult, innuens hanc non humanæ prudentiæ, sed diuinæ Sapientiæ doctrinam esse, & ad Mysterium crucis Christi, adeoque ad salutis & redemptionis nostræ rationem pertinere.

Mox tam ipse quā omnes astates Cru-

DE M Y S T E R I I S

cis signa in tribus locis sibi manu imprimitur. In fronte, ut non erubescant Euangelium crucis, Sed ut Christi doctrinam palam praeseferant, & in moribus exprimant ac tota vita & conuersatione ostendant. In ore, ut significant se ore confitri velle ad salutem, & ut meminerint tales ex ore credentis sermones procedere debere,

Ephes. 4. qui crucem Christi redoleant, & qui audientibus dent gratiam, & ad salutem ipsos edificant. In pectore, ut demonstretur quae ore confitentur, eadem firme cordis assensu se assuerare, & credere. Ad finem Euagelij pectora sua denuo Crucis signaculo muniunt, ne veniens Diabolus tollat salutare semen de cordibus ipsorum, sed ut retentum radices agat, vireat, & fructus suos proferat in vitam aeternam.

Luca 8.

De Symbolo.

PUBLICA fidei professio salutarē Euangelicæ prædicationis fructum indicat. Ex auditu enim fides hauritur. Incepitur autem Symboli professio à Sacerdote, & per Chorum aut populum continuatur, ut ex eo intelligamus fidei nostræ fundamenta nos ex ore Christi, id est, prædicatione verbi haurire, cui dum

assentimur, veram fidem corde concipi-
mus credentes ad iustitiam, quam deinde
ore confiteamur ad salutem.

Rom. 10.

De Offertorio.

VI Sacerdos salutato populo, & vt
orent admonito, statim ipse impro-
viso silentio conticescit. Chorus autē alta
voce canit: iam nūc Christi passionis quæ-
dam imago proponi incipit. Hoc enim si-
lentium non ineptè significat silentium,
quod Dominus egit, cùm inimicorum fu-
rori cedens in desertis locis aliquādiu an-
te passionem suam delituit. Interim tamē
à Confessione eius credentes in ipsum
non tacebant. Atque etiam quotiescum-
que mundus cōtra Christum insurgeret,
non tamen à Confessione ipsius fideles
cohibere vlla vi posset, quin mundo inui-
sum Christum liberis vocibus confitean-
tur.

Ioan. I.

Hæc autē prævia oblatio, quæ in pane
& vino aqua mixto (quo populorum fi-
delium cū c H R I S T O vno significatur) *Vide Cy-*
prian. li. 2.
fit, illam in Christo promptam volun-
tatem, & ardens desiderium significat, *Epist. 3 de*
conse. diſt.
quo iam ante passionem voluntati Pa-
tris se permittebat, & pro hominum sa-
lute iam voto & desiderio se offerebat. *iij.c. Non*
oport.c.
Cum omne,

DE MYSTERIIS

Habeo Baptismo baptizari, inquit, & quo modo coartor usque dum perficiatur?

De Praefatione.

Sacerdos post silentium rursus vocem exaltans, manifestum Christi post aliquot dierum latebras, in Hierusalem aduentum nobis reducit in memoriam, cum obuiantium summo honore exceptus, inter gratulantium & laudantium voces urbem ingressus est. Sacerdos vero illas acclamantis populi laudes repetens, Benedictus (inquit) qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Crucis imaginem manu ante faciem & pectus suum ducit, innuens Christum Dominum non ad regnum aut pompam secularem, sed ad passionem & mortem Crucis pro redēptione nostra tolerandam venisse Hierosolymā, ideoque tota Praefatione & Hymno, qui eam sequitur, hoc potissimum agitur nobiscum, ut cum voce metem ad Deum attollentes, pro inestimabili redemptoris nostrae beneficio, cuius mox memoriam celebrare tendimus, gratias agamus omnipotenti deo.

De lotione manuum.

Tam alris & sacro sanctis mysteriis etiam externam puritatem & reue-

rentiam conuenire nemo ambigit. Deus tamen cordis mundiciem magis requirit. Ideoque in conspectu omnium manus abluens Sacerdos, & se & alios commonet, vt immundas & prauas cogitationes iam nunc ex corde abstergant, quò tantis Mysteriis apti esse queant, ne Deus malitia nostra offensus, oblationes & preces nostras aueretur, & illud nobis occinat: Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam. Quia manus vestræ sanguine plena sunt. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Esaie I.

De Canone.

IAm inde ab initio Canonis omnia sub silentio Sacerdos peragit, vt insinuet Dominicæ passionis mœrorē. Et iam paucis admodum occupatur signis cæremonialibus vt per quietem animū suum intra se colligens, ad altissima & sanctissima gratiarum actionis & consecrationis verba maiore attentione aduigilet. Solum tamen Crucis signum crebrō repetit, vt ad considerandam Domini passionem intuentium animos ipso gestu

DE MYSTERIIS

subinde excitet & cohortetur.

De Osculo altaris.

Sacerdos inchoatus Canonem ante medium altaris, inclinato capite osculum figit in Altari, humilem illam Christi Domini obedientiam demonstrans, qua imminente iam mortis suæ tempore, ultra Hierosolymā adueniens, inimicorum suorum se permisit potestati, ut obedientiā pariter & dilectionem Patris in se manifeste ostenderet. Ut cognoscat mundus, inquit, quia diligo Paterem. Et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. Nec tamen ex sola Patris dilectione & obedientia ad mortem se humiliauit filius Dei, sed nostrae etiam salutis affectus eum perpulit, ut miseris nos, & peccatis, ac damnationi obnoxios pacificaret, per sanguinem Crucis, & à Deo alienatos Hostia corporis sui reconciliaret Deo. Altare enim ex multis coaceruatum lapidibus, populorum vniuersitatem rectè significat, quam per Christi passionem pacificatam, & cum Deo reconciliatam, ex impressione Osculi aptè intellegimus.

Colos. i.

*De trina consignatione oblationis, &
mox de quinque crucibus.*

Trina consignatione Crucis quæ su
per totam oblationem extenditur,
accipimus, vna totius Trinitatis vo
luntate, redēptionis nostræ opus esse cō
summatum. Nam & pater ex dilectione
qua mundum dilexit, Filio proprio non
pepercit, sed pro nobis tradidit illum. Et *Ioan. 3.*
Christus animæ suæ potestatem habens
ita ut nemo eā auferret ab ipso, nisi eam
ipse desiderio salutis nostræ ponere vo
luisset, semetipsam vltro per Spiritū san
ctum obtulit immaculatum Deo, ut nos
emundaret. Extenduntur autē configna
tiones istæ super totam oblationē in pa
ne & vino propositam, vt inde recorde
mur Christum, ut nos redimeret, in Cor
pore & Sanguine mala nostra tolerasse,
& inimicorum ipsius crudelitatem non
leibus poenis cōtentam fuisse, sed usque
ad sanguinis effusionem desæuisse.

Rursus post precatiōnes, quinque Cru
ces fiunt super oblationes, per quas bre
ui transcurſu quinque dierum Mysteria
attinguntur, qui ab ingressu Christi us
que ad diem immolationis suæ interces
serūt, quibus ideo minus immoratur Sa
cerdos, ut sextæ diei, qua Dominus re
demptionem generis humani consum
eret.

*Roma 8.**Ioan. 10.*

DE MYSTERIIS

mauit, Mysteria pleniore commemora-
tione complecti queat.

*De Elevatione Corporis &
Sanguinis Domini.*

Cum iam omnipotentis verbi Christi virtute panis & vini substantia in veram Christi carnem & verum eius sanguinem transferunt, Sacerdos corpus Dominicum, mox & sanguinem, sub panis vinique specie in altum eleuatum, populo exhibet conspiciendum, & adorandum, simul illis in memoriam reducens, Dominum pro salute nostra, ita ut ab omnibus conspici posset, in crucis patibulo sublimem pependisse, & salutarē eius cruentum de sacro sanctis vulneribus eius ubertim promanaasse.

De extentione manuum.

Sacerdos manus protendens, insinuat Christi in cruce extentionem, ipsi quem Christo acerbissimā, nobis autem salutarem, qua pius Dominus manus suas extendisse innuitur, ut omnia trahat ad seipsum, & dispersos nos congreget, & amico complexu miseros confouens, & suis nos contegēs meritis erectos à damnatione ad aeternam nos secum introducat beatitudinem.

De

Ioan. 12.

*De quina consignatione, &
mox de trina.*

Post eleuationem Sacerdos quinque Crucis signacula manu super Oblationem extendit, Significans sacrostantum corpus Domini quinque præcipuis vulneribus pro salute nostra confossum. Ideoque enixius Patrem cœlestem deprecatur, ut tam acerbam Filij passionem, & tolerata pro delictis hominum tot vulnera, omnibus, pro quibus nunc sub Mysterio repétita Christi filij passio ei proponitur, pro benignitate & misericordia sua finat conducere ad salutem. Et mox trinam consignationem Crucis super oblationem repetens, Significat tres hominum conditiones, quos huius Sacri Mysterium contingit. Beatorum in celis, qui glorificati corporis Christi aspectu iam satiantur, quibus hoc Mysterium proficit ad gloriam. In Christo defunctorum, qui in charitate quidem Dei, non tamen omnis prouersus labis immunes, ex hac vita excesserunt, ut beatitudinem, quam spe securi, nondum tamen re ipsa possident, per virtutem tam salutaris Sacrificij celerius assequantur. Et peregrinantium super terram, ut

DE MYSTERIIS

Domini nostri Iesu christi meritis apud
Patrem commendati, cœlesti benedictio
ne & gratia repleti, bonis omnibus abun
demus, ab omnibus pariter muniamur
aduersis.

De Tunione pectoris.

Sacerdos facta omniū in Christo quies
centium commemoratione, pectus tun
dit & voce aliquantum eleuata pro viuis
orationem ad Deum fundit, illam poen
tentis Latronis obsecrationem nobis in
memoriam reducens, qua pendentem in
cruce Dominum, & pro delictis omnium
satisfacientē appellans, Memento, inquit,
mei Domine, dum veneris in regnū tuū.
Qui propriis meritis miser, sed Domini
miseratione fœlix, hanc plenam consola
tionis vocem audiuīt, Amē dico tibi, quia
hodie mecum eris in paradiſo. Qua nos
gratuita christi miseratione animati, quā
tumuis delictis grauati, & meritis vacui,
de multitudine tamē miserationum Dei
ſperātes, partem nobis & societatem cum
sanctis & Electis donari postulamus, Per
eūdem C U R I S T V M dominum nostrū.

De alijs octo signis Crucis.

TRes Crucis consignationes, quæ su-
per oblationem adhuc adopertam
fiunt, tres horas significant, quibus
Dominus in cruce viuus pependit, qua si-
gnificatione à nobis compēdiosa memo-
ria exigitur omnium eorum cruciatuum
quos innocens Dominus pro nobis tole-
rauit. Hinc Sacerdos velamē de calice de-
ponens, iam Dominicæ mortis comme-
morationē nobis ingerit, ad quam ipsum
velum tēpli discissum est in duas partes.
Ideoque alias tres Cruces super detetum
Calicem ingeminat, tres alias horas indi-
cans quibus iam demortui corpus usque
ad vesperam in Cruce perdurauit. Tāndē
intra labrum Calicis & pectus suum du-
cens duas crucēs, Mysterium illud subin-
dicat, quo de mortui Salvatoris latere sā-
guis profluxit & aqua, ut per hanc fodiū
nostrarum emundatio, per illum verò sa-
lutis nostræ preciū, ex eodem salutis fon-
te nobis proueniret.

*De exaltatione vocis in oratione domini-
ca, & post eam de depositione ho-
stie in corporali.*

SAcerdos consecratam hostiam supra
calicem eleuans, in longo silentio vo-

G ij

cē extollit, vt insinuat Christum in crucē
sibleuatum post exantlatos diros crucia-
tus, cum valido clamore spiritum emis-
se. Responsio circumstantium, luctum si-
gnificat mulierum, & notorum qui à lon-
ge stantes, patientem Dominum, & cum
clamore expirantem, non sine magno cō-
passionis dolore, conspiciebant. Mox Sa-
cerdos corpus Domini rursus in corpora
li deponēs, & calicem cooperiens Domi-
ni nobis insinuat sepulturam.

*Desilencio post orationem Dominicam,
& de Patene eleuatione.*

SIlentium post orationem Dominicā,
Siam illam sequentis diei sabbati quie-
tem indicat, qua Dominus in sepulchro
quieuit. Similiter & mulieres secundum
legem siluerūt Sabato, quæ deinde sum-
ptis, quæ ante emerant, aromatibus ad un-
gendum eum venturę erant. Patena verò,
quæ splendore suo, & metalli nobilitate
Christi diuinitatem rectè designat ante
oculos nostros conspicienda tenetur, vt
meminerimus inter hæc omnia aduersa
Christi humanitatem, vtcunque infirma
& despecta apparuerit, nunquam tamen
à diuinitate fuisse derelictam.

De elevatione vocis ad Pax Domini, &c. & defractione Hostie, & commixtione.

I Am alia vocis eleuatione Sacerdos Dominicæ resurrectionis lætitiam in cordibus fidelium excitare intendit, verbis etiam exprimens illam resurgentis Domini, & discipulos suos inuisentis, salutationem. Pax, inquit, Domini sit semper vobiscum, innuens Christum, post toleratum pro delictis hominum supplicium, à mortuis resurgentem, pacem nobis cum Deo reddidisse. Simul & Hostiæ consecratae fractione, illam panis fractionem subindicat, cuius indicio dominum à mortuis suscitatum, Discipuli verè cognoverunt. In tres verò partes cōsecrata Hostia diuiditur, ad designandas tres hominum conditiones, ad quos huius Sacrificij Mysterium pertinet.

Prima pars Hostiæ, quæ & maxima est, Beatos significat, qui in cœlis cum Deo æterna beatitudine perfruuntur. In altera intelliguntur hi, qui in charitate Dei, cum signo fidei, ex hac vita migrauerunt, nondum tamen satis expiati, ad illas beatas sedes nondum recepti sunt, de sua tamen salute certi, & securi expectant, ut maximè sanguinis Christi

Roma. 5.

Luce 24.

G iij

virtute, & passionis eius merito, cum beatis in illo fœlici consortio celerius coniungantur. Ideoque hæc particula cum alia, quæ beatos significat, mox in Patena componitur. Tertia consecratæ Hostiæ pars nos designat, qui super terram à Domino peregrinamur, nondum effecti participes gloriæ sanctorum, sed inter varias mundi calamitates mortis & passionis Domini similitudini configurati, ob id hæc particula intra calicem, qui passionis mysterium adumbrat, reponitur, & cum sanguine Christi permiscetur, ut inde intelligamus nos gloriæ Christi consortes aliter esse nō posse, nisi passionum eius fuerimus participes. In commixtione etiam corporis & sanguinis Domini, animæ Christi post mortem cum corpore coniunctio significatur, quam ex virtute Trinitatis contigisse per trinam crucis consignationem innuitur. Quæ etiam tres crucis triplicem illam pacem demonstrant, Christi merito nobis impetratam, videlicet, ut in diebus peregrinationis nostræ foris tranquillam à tumultibus vitam, & intus conscientiæ quietem, ac demum æternam cum beatis fœlicitatem ex Domini misericordia obtineamus.

De Agnus Dei.

HAEC vox gratulantis Ecclesiæ, gloriam Ascensionis Dominicæ nobis reuocat in memoriam. Christū enim ad dandam pœnitentiā & remissionem peccatorū, pacem hominibus cum Deo stabiliendam, & ut pro peccatis populi vultui Dei semper appareat, Deus à mortuis exxitavit, & Principē & Saluatorem exaltauit, ad quem in dextera patris exaltatum supplicantis populi vox suclamat, misericordiam & pacem ab eo dari sibi expetens, cui permissa est omnis potestas in *Mat. 28.* cœlo & in terra.

De osculo Pacis & Communione.

ANTE Communicationē sacrosanctæ Eucharistiæ sacerdos pacem imprecatur circumstanti Ecclesiæ, & osculum pacis offert, quod initio à sacerdote facto, deinde transit per vniuersos, quo admonemur, sicut nos per mortem filij, cuius memoriam in hoc sacrificio celebramus, recōciliati sumus Deo, ita etiam ad inuicem debere esse concordes, seruantes unitatem spiritus, in vinculo pacis. Neque enim odiis aut contentionibus diuidi oportet eos, qui vno omnes

*Ephes. 4.**1. Cor. 10.*

G iiij

D E M Y S T E R I I S

pane participantes in vnum Christi corpus coalescunt, & inuicem membra efficiuntur, & eundem in cœlis inuocant Patrem, eandemque expectant æternæ vitæ hæreditatem. Hoc etiam osculo, quod à sacerdote oblatum omnes suscipiunt, vnum omnium consensus super omnibus, quæ hoc sacrificio peracta sunt ostenditur. Et quoniam de sacrostanta Eucharistia raro communicant præsentes, saltem osculum pacis, pro unitatis Symbolo inuicem & dant & recipiunt.

Roma. 5. Sed & Spiritus sancti missio per osculum commodè intelligitur, qui adueniēs diffundit in cordibus charitatem, cuius signum est osculum pacis. Communio autem, quæ post sacrostantæ Eucharistiae participationem recitatur, pro gratiarum actione adhibetur.

De Complenda.

NOuissima oratio, quam Complendam appellant, præterquam quod ipsa apud Patrem in nomine Filij eius Iesu Christi domini nostri pro nostris necessitatibus interponitur, insuper earum orationū nos (ad firmandam spem & consolationem nostrā) cōmonefacit quibus nunc ad dexteram Patris sedes Christus,

salutem nostram promouere non definit,
qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui
est in dextera Dei , qui etiam interpellat
pro nobis : Qui per id, in quo est similis *Psal. 102.*
nobis, patri nos recociliat, In quo autem
est equalis patri, ipse propitiatur peccatis
nostris, & sanat infirmitates nostras, & di-
uina sua potestate ad salutem nostram ne-
cessaria abundè largitur.

*De Conclusione Missæ, & Benedi-
ctione Sacerdotis.*

Sacerdos finem huius Sacri populo
denuncians, simul eos ad gratiarum
actionē cohortatur. Ite Missa est, inquit:
aut, Benedicamus domino. Ad vtrunque
autem respondetur, Deo gratias. Quo
commonemur, cùm iam Dominicæ pas-
sionis (cuius virtute tota humani gene-
ris salus comparata est) memoriam perfe-
cerimus, & meritum passionis ac sanguini-
nis Christi per virtutē huius sacrificij, fi-
de, & deuotione, & oratione, nobis appli-
cauerimus, dignum esse, ut pro tantis do-
nis Deo gratias agamus. Quibus ritè
peractis, signo crucis populū muniens sa-
cerdos protectionem, & tutelam, & custo-
diam à Deo eis precatur, significans ne-
gotiorum nostrorū successus fœlices ex-

DE CELEBRATIONE

sola Dei benedictione prouenire, ac totam salutem nostrā à protectione & gratia eius expectandam ac petendam esse.

IN CELEBRATIO-
NE SACRAE MISSAE
ad circumstantes, Exhortatio.

Dilecti in Christo Iesu Domino nostro. In hoc sacro, in quo nos Dominum & Redēptorem nostrum Iesum Christū in suo vero Corpore & Sanguine, ad memoriā salutiferæ passionis suę Deo Patri cœlesti sistere intēdimus, totum redēptionis nostræ opus, in cordibus & cogitationi-
Roma. 5. bus nostris breuiter reuoluere debemus, & initio nobis in memoriam redigere. Quod cùm genus humanum ob vius delectum, irę Dei & damnationi obnoxium teneretur, & hominis natura peccato de-
Ephes. 2. prauata, & ab adolescentia in malum pro *Psal. 50.* na esset, vnde depravati filij Adæ peccata *Gene. 6.8* peccatis accumulabant, & iustum Dei iram & damnationem contra se grauius incitabant. Tunc Deus Pater magnæ dilectionis, & immensæ misericordiæ, af-

sictionem populi sui miseratus (sicuti promiserat) vnicum & dilectum filium suum miserit in mundum , vera humana-
nitatem indutum , & carne nostra circun-
datum , supra quem omnium nostrum posuit iniurias , & soluendis pœnis subiecit eum . Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum , & innocens pro peccatoribus , & iustus pro iniustis sanguinem fudit , & amaram pertulit mortem , & hoc ipso Corporis & Sanguinis sui sacrificio pro peccatis omnium satisfecit , & mundum Deo re-
conciliauit .

*Galat. 4.**Esaie 53.**1. Petri 2.**Hebr. 10.**2. Cor. 5.*

Cuius sacrificij figuram varia patrum sacrificia prætulerunt , quæ ipsi ideo cele-
brarunt , vt fidem suam in hoc futurum sacrificium testarentur , & Deo cùm pro aliis beneficiis , tum præcipue pro redemp-
tione , quam futuram expectabant , grati-
tudinem suam declararent , & fructum futuri sacrificij , fide , deuotione , & oratione sibi applicarent , & appropriarent . Quos Deus non propter ipsorum sacrificia , sed in fide venturi sacrificij , & in meritis Salvatoris Iesu Christi iustifica-
uit , & saluos fecit .

Quemadmodum & nos , & qui post

DE CELEBRATIONE

nos usque ad finem seculi futuri sunt, remissionem peccatorum, reconciliacionem cum Deo, salutem & redemptio-

Act. 4. nem in sola huius Sacrificij virtute inuenire, & accipere possumus.
& 10.

Vnde Christus Dominus & Redemi-

Malac. 1. ptor (sicut in Malachia prænuntiatum, & in Melchisedech præsignatum fuerat)

Gene. 14.

mundam hanc & salutarem Corporis & Sanguinis sui, sub speciebus panis & vi-

ni, oblationem Ecclesiæ suæ tradidit, &

Matt. 26.

in memoriam suæ passionis offerendam & sumendam commendauit: Non sic, quod remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo, quotidie de nouo nos oporteat mereri, quasi Christus non sufficientissimè, & plenissimè, & perfectissimè meruerit: Sed ut sic pro impretrata redemptione, & cunctis Dei beneficiis gratias agamus, ut ea quæ in Crucis Sacrificio Christus impetravit ac promeruit, nos hoc rememoratio mortis suæ sacrificio nobis applicare, & appropriare, & ad nostram ipsorum salutem iisdem frui valeamus.

Ideoque dilecti in Domino, corda & animos vestros in hanc intendere actionem sedulò curetis, & iuxta Domini man-

datum, salutiferæ mortis & innocentissimæ passionis eius memoriam pari voto celebretis, & serio apud vos recogitatis quid pro nobis nostrâque salute Dei Filius fecerit & pertulerit, quomodo innocentissimus Dominus, cum iam à Discipulo prodius esset, in horto præ expectatione tam amaræ passionis, acri mærore usque ad sudorem sanguineum angustiatus ab irruentibus inimicis immisericorditer captus & ligatus, ignominiosè adjudices tractus, falsò accusatus, à ministris tota nocte inter opprobria, illusus, à militibus crudeliter flagellatus, & tandem in crucem adactus fit, in qua inter dira conuitia exprobrantium inimicorum, & inter acerbissimos cruciatus innocentem animam exhalarit. Hæc omnia ob hoc sustinens, ut sacrosancti sanguinis sui effusione lordes peccatorum nostrorum ablueret, & morte innocentis debitas pœnas nostras dissolueret, æternam damnationem à nobis auerteret, & æternam nobis vitam promereretur.

In quo immensam Dei Patris in nos dilectionem agnoscere debemus, qui *Roma. 8.* etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. Similiter & Filij

DE CELEBRATIONE

Philip. 2. Dei Domini nostri Iesu Christi prōptam
& nobis salutarem obedientiam conside-
rare debemus, qui mira erga nos dilectio-
ne, cūm in gloria Dei esset, vsque ad extre-

Coloff. 2. mas miseras nostras semetipsum exinan-
uit, & mortem crucis subiit, vt mortuos
peccato æternæ redderet vitæ. Cūm ita-
que remissionem peccatorum, vt reconcili-
ationem cum Deo, salutem & redēptionem
non in nobisipsis, sed in solo Christi
sanguine, & eius meritis inuenire & acci-
pere possimus.

Ideo eū ipsum in vero corpore & san-
guine suo (sicut seipsum semel in cruce,
modo cruento & passibili obtulit ad mor-
tem) Sic nunc incruento & impassibili
modo, non iam ad mortē, sed sub Mys-
terio, Deo patri sistere, ac innocentissimi
Filij passionem pro nobis toleratam, &
fusum pro nobis sanguinem Patri inge-
rere, cūmque toto corde deprecari volu-
mus, vt propter tam salutaris passionis,
& effusi sanguinis merita, nobis, ac om-
nibus Christi membris, fidei nostræ do-
mesticis, siue in corporibus, seu extra cor-
pora constitutis, misereri dignet, & nunc
& omni tēpore eadem ipsa, quæ Christus
Dominus in cruce pro omnibus prome-

ruit, & fidelibus omnibus , nobis ad salutem & redemptionem nostram seruire & professe permittat. Et quò firmius & arctius Christo velut membra adglutinemini , & gratia ac donis ipsius ad fulciendas animas vestras, uberiori perfruamini , sub finem sacrosanctum corporis & sanguinis Domini sacramentū: Si nō ore sacramentaliter, saltem corde spiritualiter, cum fide & deuotione percipite. Et Deo de omnibus beneficiis suis gratias agentes , & vosmetipso , cum toto orbe Christiano diuinæ tutelæ & protectioni committentes, domum redite, fiduciam habentes bonam, Deum omnipotentem nobis Christi filij sui merita impartiri, propter ipsum nobis misericordem esse, nos protectione sua munire, & tam præsentis, quam æternæ vitæ felicitatem, secundum veritatem & misericordiam suam, nobis elargiri velle, Per Christum Dominū nostrum, cui cum patre & spiritu sancto sit omnis honor & gloria, in secula seculorum,

A M E N.

Reuism & admisum per Simonem
de Planen Asperen, Subplebanum Eccle-
siæ Collegiatæ beatæ Mariæ virginis An-
tuerpien.